



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

I. De modo dicendi horas canonicas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
CHRISTI
1386.

vna cum aliis venerabilibus patribus ac procuratoribus
fuis, ac coepiscoporum nostrorum, & quorundam alio-
rum praelatorum presentium nobiscum in hoc sacro pro-
uinciali Concilio residentibus, ad correctionem exces-
sum & reformationem morum diligenti ac matura de-
liberatione prehabita, infra scriptas constitutiones edidi-
mus salubres & vtilis, iure fundatas, æquitati consonas,
& per quas subditorum seruatur honestas: quas per loco-
rum ordinarios praelatos, archidiaconos & alios ecclesia-
rum rectores per totam nostram prouinciam publicari,
& sub pœnis in eis contentis precepimus inuiolabiliter
obseruari.

C A P I T V L A.

I.

Quia, vt accepimus, clerici diuersi diuersimo-
de in horis canonicis & diuinis officiis diuersum
psallendi tenent modum contra canonica institu-
ta: volentes igitur huic morbo remedium appone-
re opportunum, districte precepimus, vt ab om-
nibus & singulis clericis sæcularibus in psallendo
idem modus & ordo in diuinis officiis & horis ca-
nonicis obseruetur, ita quod vnusquisque in hoc
suæ cathedrali ecclesiæ, siue fuerit regularis, siue
sæcularis, rationabiliter se conformet. Si quis hu-
ius constitutionis transgressor extiterit, per loci
ordinarium, vel archidiaconum, canonica moni-
tione premissa, ab ingressu ecclesiæ suspendatur.
Religiosos vero in suis rationabilibus obseruan-
tiis volumus remanere.

II.

Sanctione presentis sub interminatione maledi-
ctionis æternæ districte prohibemus, ne aliqui ma-
iori excommunicatione nodatos, aut suspensos,